

14. *Clausilia serrulata* Mus. Petrop.

T. vix rimata, fusiformis, solidula, confertim costulata, diaphana, nitida, cerea; spira sursum valde attenuata, apice acutiuscula; anfr. 10 convexi, ultimus basi rotundatus, vix compressus; apertura ficiformis; lamella supera compressa, introrsum arcuata, infera profunda, debilis; plica lunata distincta, palatalis 1 elongata, supera, columellaris immersa; perist. continuum, breviter solutum, album, reflexiusculum, plicis confertis, marginem superantibus serrulatum. — Long. 12, diam. 3 mill. Ap. 3 mill. longa, medio vix 2 lata.

Patria: Tauria. Benevole communicavit Cl. de Middendorff.

---

**Testaceorum novorum centuria.**

Descripsit Dr. A. R. Philippi.

1. *Pholas antipodum* Phil.

Ph. testa elongato-oblonga, antice rostrata, valde hiante, lineis transversis elevatis antice spinosis scabra; spinis costulas radiantes mentientibus; lineis radiantibus postice nullis; margine ventrali antice profunde sinuato, dorsali antico supra apices reflexo; cellulis nullis; laminis dentiformibus oblique adscendentibus in cardine; valva accessoria antica ut in *Ph. candida*. Long. 24''; alt. 9 $\frac{1}{2}$ ''.

Ph. similis Gray in Yates New Zealand?

Patria: Nova Zeelandia; commun. cl. Largilliert.

Forma, hiatus anticus, sculptura fere exactissime eadem atque in *Ph. Dactylo*, sed hiatus anticus major fere dimidiam longitudinem occupans; cellulae ad apices nullae, cardo diversus, ut in *Ph. candida*; processus cochleariformes longiores, angustissime lineares. Labia extus profunde striata. Extremitas antica angusta, rostrata

sed in ipso angulo rotundata, pars postica striis radiantibus orba; spinarum radii antice confertissimi.

### 2. *Pholas manilensis* Ph.

Ph. testa elongato-oblonga, antice acutangula, valde hiante, lineis transversis elevatis antice spinosis scabra; spinis costulas radiantes mentientibus, postice lineis radiantibus elevatis conjunctis; margine ventrali antice profunde sinuato; dorsali antico supra apices reflexo; cellulis nullis; laminis dentiformibus oblique ascendentibus in cardine; valva accessoria antica ut in Ph. candida. Long.  $2\frac{1}{2}$ ''' ; alt. 9'''.

Patria: Manila, commun. cl. Gruner.

Simillima Ph. antipodum, sed lineae elevatae radiantes postice valde distinctae, antice magis distantes; extremitas antica vix rostrata sed in ipsa extremitate acute angulata; margo dorsalis anticus reflexus extus laevis.

### 3. *Solen gracilis* Ph.

S. testa lineari, cornea, area dorsali obsolete rufostrigata; longitudine altitudinem octies aequante; extremitate utraque recte truncata, antica simplice; marginibus dorsali et ventrali exacte rectilineis et exacte parallelis; cardine terminali, in utraque valva unidentato. Long.  $4\frac{1}{2}$ ''' ; alt.  $6\frac{2}{3}$ '''.

Patria: Insulae Philippinae; exstat in coll. cl. Gruneri.

Figura maxime convenit cum S. Siliqua M. Mediterranei, sed colores minus vivi, et cardo valde diversus. Vix ulla species lineis tam exacte rectis et parallelis circumscribitur!

### 4. *Poronia scalaris* Ph.

P. testa ovata valde inaequilatera, tumida, rugis transversis grossis scalari, alba, ad apices purpurea; dente lunulari, lamellaque ligamentifera intus valde prominulis. Long.  $1\frac{1}{2}$ ''' ; alt.  $1\frac{1}{4}$ ''' ; crass. 1'''.

Patria: Nova Hollandia; vendidit Parreyss.

Testa valde inaequilatera, apicibus ad  $\frac{1}{3}$  longitudinis sitis; pars antica longior angustior. Rugae transversae scalariformes fere ut in *Venere paphia* hanc speciem satis superque distinguunt.

#### 5. *Poronia Parreyssii* Ph.

P. testa ovata, valde inaequilatera, tumida, laeviuscula; albida, postice recte truncata; dente lunulari laminaeque ligamentifera intus valde prominentibus purpureis. Long. 2<sup>'''</sup>; alt. 1 $\frac{5}{6}$ <sup>'''</sup>; crass. 1 $\frac{1}{3}$ <sup>'''</sup>.

Patria: Nova Hollandia; vendidit Parreyss.

Apices acuti, prominuli, fere ad dimidiam longitudinem siti, attamen testa valde inaequilatera, antice producta, angustata, subrostrata, postice dilatata, fere angulo recto truncata; margo ventralis fere rectilineus. Superficies laeviuscula. Color albus.

#### 6. *Poronia purpurata* Ph.

P. testa ovata, valde inaequilatera, compressiuscula, laeviuscula, purpurea, postice subtruncata; dente lunulari laminaeque ligamentifera parum intus prominentibus, atro-purpureis. Long. 1 $\frac{1}{4}$ <sup>'''</sup>; alt. 1<sup>'''</sup>; crass.  $\frac{3}{4}$ <sup>'''</sup>.

Patria: Nova Hollandia; vendidit Parreyss.

Forma fere omnino ut in *P. Parreyssii*, sed extremitas postica magis rotundata, testa paullo magis compressa, color diversus et cardo intus longe minus prominens.

#### 7. *Periploma anguliferum* Ph.

P. testa oblonga, subrhomboidea, postice brevissima; angulo elevato, antice sulco cincto in valvula dextra ab apice ad angulum basalem posticum decurrente. Long. 8<sup>'''</sup>; alt. 5<sup>'''</sup>; crass. 3<sup>'''</sup>.

Patria: Texas, Galveston.

Forma testae rhomboidea, margo ventralis fere rectilineus et dorsali antico parallelus; margo anticus oblique

ascendens, convexus; margo posticus convexus sed antico fere parallelus et ejusdem longitudinis. Apices ad  $\frac{1}{6}$  —  $\frac{1}{8}$  longitudinis siti. Ab iis in valva dextra angulus valde conspicuus, antice sulco cinctus, decurrit, partem posticam rugosiolem ab antica separans, et in angulum acutum marginis desinens. In valva sinistra angulo seu carinae illi sulcus respondet. — Sinus palliaris satis acutangulus.

Differt a *P. trapezoidi* Schum. testa oblonga, longe minus alta, a *P. lenticulari* Sow. forma rhomboidea, nec elliptica lenticulari, a *P. argentaria* Conr. testa minime elliptica, a *P. planiuscula* Sow. testa inflata, nec compressa, ab omnibus angulo illo valde conspicuo, cujus in descriptione harum specierum nulla mentio.

#### 8. *Tellina Jonasi* Ph.

T. testa ovali-trigona, solidiuscula, convexiuscula, inaequilaterali, alba, ad apices flava, striis transversis concentricis demum remotis, ad extremitates et marginem ventralem lamellaribus; margine ventrali convexo, dorsali antico convexo, et ventrali subparallelo, dors. postico recto, valde declivi; latere antico fere semicirculari, postico cuneiformi; plica valde conspicua; natibus acutis, ligamento infosso; dente cardinali posteriore valv. dextrae angustissimo vix bifido; lateralibus approximatis; lunula angustissima vix distincta. Alt. 10''; long. 14 $\frac{1}{2}$ ''; crass. 4''.

Patria: Insulae Philippinae.

Simillima *T. serrata* e Broc. e Mediterranea, at attentius examinata differt: testa altiore, extremitate antica praesertim multo magis elevata; dente cardinali, ut supra dictum, angusto, sulco superficiali vix bipartito.

#### 9. *Tellina lima* Ph.

T. testa ovali-trigona, solidiuscula, convexiuscula, inaequilatera, alba, striis transversis concentricis lamella-

ribus; margine ventrali convexo, dorsali antico convexo, declivi, postico rectiusculo valde declivi; latere antico rotundato, postico cuneiformi; plica valde conspicua; uatibus acutis; ligamento infosso; dente cardin. valv. dextrae posteriore magno, usque ad basiu bipartito, dentibus lateralibus remotis; lunula anguste lanceolata, profundata, carina distincta circumscripta. Long. 16<sup>'''</sup>; alt. 11<sup>'''</sup>; crass. 5<sup>'''</sup>.

Patria: China, insula Basilan; comm. cl. Largilliert.

Etiam haec species *T. serratae* simillima, sed striis transversis magis elevatis, forma magis alta, dentibus lateralibus remotis satis differre videtur. — A *T. Jonasi* cardine et extremitate antica minus elevata distinguitur.

#### 10. *Tellina strigilata* Ph.

*T.* testa ovata, solidiuscula, satis convexa, nitida, candida, aequilaterali, postice fere oblique truncata, obtuse angulata, antice rotundata, valvula utraque striis tenuissimis obliquis in medio ornata; margine ventrali convexiusculo, dorsali utrinque haud multum declivi; ligamento prominente; flexura obsoleta. Long. 19<sup>'''</sup>; alt. 13<sup>'''</sup>; crass. 4<sup>2</sup>/<sub>3</sub><sup>'''</sup>.

Patria...

*Tellinae* dispari Conrad (Thesaur. p. 306. nr. 164. t. LIX. f. 108) similis, sed omnino aequilatera, latus posticum non angustatum, utraque valva oblique striata, magnitudo major. — Testa utrinque, praesertim vero postice hiat. Praeter strias obliquas striae incrementi, praesertim in area postica et striae tenerrimae radiantes conspicuae. Dentes cardinales utrinque duo, posterior valvae dextrae bifidus, magnus, sinistrae lamellaris tenuissimus, laterales nulli. Sinus palliaris rotundatus, fere usque ad impressionem musc. anticam productus; angulus palliaris usque ad mediam testam procedit. Nymphae ultra marginem testae haud prominent. An potius propter testam utrinque hiantem et cardinem ad *Psammobias* referenda species?

### 11. *Lucina bullata* Ph.

L. testa suborbiculata, subglobosa, inaequilatera, laevi, tenui, alba; extremitate antica longe minore, subrostrata; apicibus prominentibus, involutis; cardine edentulo; lamina cardinali angustissima; fovea ligamenti margini parallela; margine intus concolore. Long. 15<sup>'''</sup>; alt. 12<sup>'''</sup>; crass. 11<sup>'''</sup>.

Patria: . . . .

Testa valde obliqua. Apices prominentes, involuti ad tertiam longitudinis partem siti; margo cardinalis fere rectilineus, antice productus; posticus rotundatus, ventralis rotundatus, antice adscendens, ita ut extremitas antica subrostrata fiat, et maxima altitudo pone apices sita sit. Superficies laevis. Area nulla; lunula lanceolata, si vis, sed non circumscripta. Impressio muscularis postica loriformis angulum satis apertum cum impressione palliari format. — Ab omnibus speciebus edentulis apicibus prominentibus involutis et extremitate antica rostrata statim distinguitur.

### 12. *Donax sulcata* Ph.

D. testa cuneiformi, subtriangulari, postice acute carinata; striis radiantibus in dorso antice nullis, sensim profundioribus, ante carinam profundis, in sulcos mutatis; parte postica tenuissime et confertissime sulcata; dentibus lateralibus validis; margine crenato. Long. 17<sup>'''</sup>; alt. 11<sup>'''</sup>; crass. 7<sup>1/2</sup><sup>'''</sup>.

Patria . . .

Forma convenit cum *D. punctato-striata* Hanley (Wood Suppl. t. 14. f. 24), quae vero differt angulo postico non acute carinato sed rotundato, striis radiantibus punctatis. Margo ventralis medio arcuatus utrinque fere rectilineus; dorsalis uterque omnino rectilineus. Dentis in margine ventrali 50. — Specimen meum majus omnino lacteum; aliud minus pulchre rosco-carneum, zonis obscurioribus.

### 13. *Donax lunularis* Ph.

D. testa oblonga, tumida, laevissima, parum inaequilatera, albo-purpurascente; lunula plana, oblongo-lanceolata, distincta; extremitate postica angustiore, rotundata; margine ventrali antice adscendente, caeterum fere rectilineo; cardine  $\frac{1}{2}$  dentato; dentibus lateralibus nullis; pagina interna lactea, ad marginem dorsalem utrumque atro-violacea; marg. ventrali crenato. Long. 10''; alt. 5''; crass.  $3\frac{1}{2}$ ''.

Patria ...

A latere inspecta forma accedit ad *D. anatinum* sed angustior et longe tumidior est. Apices ad tertiam longitudinis partem siti sunt. Superficies laevissima. Carina nulla. Lunula valde distincta plana admodum singularis est. In valva sinistra distincte dentes 4 cardinales numero.

### 14. *Donax texasiana* Ph.

D. testa parva, oblongo-cuneiformi, tumida, carnea, nitidissima, striis radiantibus haud impressis; carina nulla; parte postica tenuissime decussato-granulata; apicibus tumidis, ad  $\frac{1}{4}$  longit. sitis; margine crenulato. Long. 6''; alt.  $3\frac{1}{2}$ ''; crass. 3''.

Patria: Galveston provinciae Texas.

Testa nitidissima, forma *Donacis* trunculi, tumiditate et apicibus magis quam in ulla alia specie prominentibus valde distincta est.

(Continuabitur.)

---

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Zeitschrift für Malakozoologie](#)

Jahr/Year: 1847

Band/Volume: [4\\_1847](#)

Autor(en)/Author(s): Philippi Rudolf Amandus

Artikel/Article: [Testaceorum novorum centuria 71-77](#)